

A I

D. O. M. A.

DE UTILITATE HISTORIÆ ECCL.

Imprimis

SVEO-GOTHORUM,

DISQVISITIO PUBLICA

Quam Doctis ex ordine tam' Eccl. quâm Politico patriotis ventilandam in Scholâ Junecopensi,


Instante die 8 Maji, horû ante & pomeridianû,

Proponit

JOANNES BAAZIUS SENIOR,

Respondente

ROBERTO PASCHASII primo Scholæ Junecop. Collegâ.





LINCOPIÆ,

Excudebat Christopherus Güntherus,

Anno M. DC. XLI.



SERENISSIMÆ ET POTENTISSIMÆ
Principi ac Dominæ,

DN. CHRISTINAE
AUGUSTÆ,

Regnorum Sveciæ, Gothiæ, Vandaliæq; Reginæ Electæ ac Principi Hæreditariæ; Necnon Magnæ Principi Finlandiæ, Duci Esthoniæ & Careliæ Ingriæq; Dominæ &c.

Salutem & felix Regimen submissè precatur,

SERENISSIMA PRINCEPS,
Domina Clementissima,

ANte annum sesquialterum mandavit S. R. M. V. per suos Respectivè tutores Regniq; Administratores celsissimos, Dominos meos humilimè suspiciendos, mihiq; injunxit laborem colligendi Historiam Eccl. Sveo-Gothorum; quod facturus licet videar actum agere, tamen cum nostri Historici ut plurimum tractarint Politica, nostraq; Ecclesiastica etiam desumantur ab exteris scriptoribus, Adamo Brem. Crantzio, Baronio & L. Osiandro, qui non sunt hic veritatem plenè assecuti. Ideo mandato S R. M. V. obtemperaturus, faciam initium impositi laboris à descriptione utilitatis hujus operis, ut accendam animum juniorum in hujus studij fidelius exercitium. Conqueruntur multi ignotam sibi esse Historiam Sveo Goth. Sciverunt omnes Antiqui scriptores sobolem & familiam Magogi mox à diluvio mundi propagatam esse in terram Aquilonarem, & insulas maris, cujus terræ habitatores dicti sunt Scythæ & Magogetæ, quos posteri vocarunt contractè Gothas vel Getas. Postquam vero antiquissimi illi, Herodotus, Diod. Siculus

lus & Strabo penetrassent totum ferè orbem studio cognoscendi situm Regionum, & audivissent in hac extremitate Scythiæ Europeæ, seu nostrâ Scandia habitare non solos Gothos, sed Svecos & Norvegos, nominârunt scriptores antiqui hos etiam populos, sed corruptis vocibus. Plinius vocat eos Svevones, Nerigon, Getas vel Guttones. Ptolomæus Guthas & Gythones. Tacitus Sviones & Gothones. Nec illi descripsere hos populos integrè, causa erat, quia .1. Omnes Antiqui putabant Scandiam esse Insulam Germaniæ annumerandam, ideo Tacitus sub Titul Germ. hos populos commemorat. 2. Populus Scandianus habuit peculiarem lingvam ac scripturam Runicam, quam neq; Græci neq; Latini intellexerunt. 3. Sveo Gothi antiquissimi exercebant propter usum lingvæ & cognationem commercia cum Scythis Thracensibus; ideòq; exteri Historici illorum Scandianorum Acta publica (quid dicam secreta & rationem cultus) ignorârunt. Huic ignorantiæ in re nostræ Ecclesiæ aliquo modo per suscepti operis lucubrationem, horis succisivis factam, mederi studebo. Rogo submisse, ut S. R. M. V. hoc præludium laboris mei Clementer accipiat: Omnesq; patriotas humaniter oro, ut operanti succurrant, contribuentes mihi benevolè quæcunq; habent monumenta ad hujus operis perfectionem necessaria. Dabo operam dirigente Deo vitâq, comite, ut susceptum opus absq; morâ perficiatur. Valeat S. R. M. V. diu Deo ejusq; Ecclesiæ in dilecta patriâ felicissimè. Scribebam Junecopiæ ingruente novo anno, ô salutari, 1641.

S. R. M. V.

obsequio devinctiss.

JOANNES BAAZIUS

DE UTILITATE HIST. ECCL. Imprimis SVEO-GOTH.

Th. I.

HAbet omnis Historia utilitatem quidem maximam: præcipuam tamen confert Christianis Ecclesiastica. *Nomen Historiæ deducunt Græci ab* ἱστορεῖν *quod est spectare vel cognoscere, indicantes hunc esse Historiæ usum, ut utilia ac necessaria tradat posteritati cognoscenda.* Est enim Historia, *ait Thuc. l. 1. de bell. pel.* Thesaurus ad omnem posteritatem potius, quàm ludicrum quoddam, quo ad præsens tantum tempus aures demulceantur. *Hinc Cicero exponit vocem Historiæ* commemorationem antiquitatis. *Cumq; multa fiant factaq; sint in quavis politia quæ commemoratione sunt dignissima, rectèq; posteritatem informent, patet primo intuitu necessitas simul ac utilitas omnium Historiarum maxima. Sic in nostra Historia sunt quædam rara, lectorem oblectantia, de quorum notitia propter vetustatis memoriam sibi rectè gratulatur posteritas. Talia sunt Inventio literarum Gothicarum, quas vocarunt* Runas, quo Alphabeto nullum est absolutius *ait Bon. Vult. de Elem. Goth p. 13.* quia undiq; quod ad veram pronunciationem faceret, ipsi mutuati sunt. *Item Supputatio Calendarij in Baculo dicto* Rijmestaff *quæ fuit ingeniosissima priscorum Scandianorum inventio. Item Dispositio prima præfecturarum Scandiæ, quâ 100 pagi singulis præfecturis numerati sint, dicti inde* Hdrodh (Hddr *est exercitus,* odh *possessio) quia cum singulis præfectis centeni in militiam datâ occasione pergerent. Hæc dispositio fortitudinem bellicam majorum nostrorum evidenter comprobat, quam hodiè in posteritate remanere multi populi qui Sveo-Goth. armis fracti sunt, satis perceperunt, ut vere de his dixerit Tacitus,* Robora parentum liberi referunt.

Quem

Quam necessitatem & utilitatem cum jucunditate conjunctam, habet alia Historia, eandem vel praecipuè continet Ecclesiastica. Jubemur laudare Deum in suis operibus, & considerabimus omnia mirabilia Dei praedicare laudes ejus. quae opera sint magnificentiora, quàm conservatio Ecclesiae? quae mirabilia praedicant certius praesentiam Dei, ejusq; laudes extollunt? quàm defensio Ecclesiae ab invisibilibus hostibus, & singularissima cura filiorum Dei, ut nemo rapiat oves de manu ejus? Haec gratuita Dei facta in Ecclesiam collata indicat Historia Biblica de conservatione Ecclesiae V. T. memorabilia referens. De Ecclesia N. T. collectione, conservatione & progressu per variam fortunam, quae sunt observatu necessaria, continet Historia Evang. & Actuum Apost. simul cum doctis laboribus plurimorum in hoc genere scriptorum. quorum diligenti lectione omnes Christiani & oblectant se, & serio incitantur ad declarandam Deo gratiarum actionem pro conservatione Ecclesiae, & ad cautionem adhibendam ne in haereses prolabantur, aut amore impietatis deserant congregationem nostri mutuam. In nostra Hist. Eccl. licet multa occurrant memorabilia sub prima Religionis susceptione à priscis Mogogetis facta; nam Templum celeberrimum aedificarunt illi Upsalia Sueonum, cultui sacro dicatum, quod omnes populi Septentrionales curam Religionis habentes certis temporibus frequentabant, teste Ar. Hwitfeld Prof. Chr. Hujus Templi figura servatur Romae, & impressa videtur Historia Joh. Mag in aedibus Birgit. Anno 1554 excusa. Hic cultus Upsaliae institutus licet degenerarit successu temporum in idololatriam paganicam: Tamen probari potest contra praeconceptam opinionem Sax. Gram. fuisse eum cultum prima institutione ad gloriam veri Dei, non idolorum directum. Quanquam haec aliaq; sub paganismo majorum nostrorum religiosè tractata sint memorabilia, attamen multò sunt religiosiora aeternâq; memoriâ dignissima, quae novissimo seculo sub reformatione Ecclesiae

 nostra,

nostra, tempore Regis Svec. Gustavi I. etiam tempore Lithurgico sunt hic peracta quorum bona pars nondum aspexit lucem. Unde necessitas simul ac utilitas Hist. Eccl. Sve-Goth clarescit maxima, quod infra specialius elucescet.

2. Historia Eccl. docet Ecclesiam Christi providentiâ Dei servatam semper in terris permansisse, licet variæ fortunæ expositam. *Promissio Christi Mat. 16. de Ecclesiæ conservatione manet firmissima, ne portæ inferorum prævaleant. Unde Bernh. in Cant. serm. 76. ait,* Non defecit genus Christianum, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia. Venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit eò quod fundata esset super Petram. Petra autem erat Christus. Hoc enim Ecclesiæ proprium est, *addit Hil. lib. 7. de Trin.* Ut tum vincat cum læditur, tum intelligatur cum arguitur, tum obtineat cum deseritur. *Permanet autem Ecclesia Christi in terris, his causis ac fundamentis innixa. 1. Ipse Deus colligit Ecclesiam, mediante ordine præscripto, sc. prædicatione verbi sui, usuq; Baptismi, sicut dicit Christus, qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit. Hujus omnipotentiæ ac ordini quia resistit nemo, patet Ecclesiam rectè conservari 2. Promissionibus certissimis de sui conservatione gaudet Ecclesia, ut contra portas inferni permaneat, nec relinquat Christus suos orphanos &c. 3 Nulli loco, neq; ulli hominum ordini alligatur Ecclesia, neq; certi temporis spatio certa ejus facies determinatur: sed cruci licet subjecta, colligitur tamen in omni populo ubicunq; invocatum fuerit nomen Domini. 4. Reformantur in Ecclesia peccatores ordinariâ absolutione à peccatis, ut in terris floreat Ecclesia: & prædicata est solennis. Reformatio Ecclesiæ circa mundi vesperam futura postquam gelu & frigus lucidam faciem Ecclesiæ diu obscurassent dicente Propheta Zach. 14. idq; repetivisse Christum Mat. 24. & intellexisse de Renovatione Ecclesiæ post tenebras*

Anti-

Antichristi futurâ, exponunt Antiqui. Hier. lib. 3. in Zach. & l. 4. in Matt. Aug. l. 1. quæst. Ev. c. 38. Ambr. Tom 4. f. 715. Theoph in Mat. & Marc. 5. Tempus gentium à Christo prædictum Luc. 21. indicat Ecclesiam in terris permansuram. Cum enim intellexerit Christus hæc tempora de conversione gentium testibus Evangelistis Mat & Marco, eaq; nominat pluraliter καίρυς; quæ occasionem agendi notant, liquet apertè longa fore tempora conversionis gentium, eamq; datâ novâ in singulis nationibus occasione profuturam gentibus. Quod esse verum Historia Eccl. edocet sic nostra indicat, Tempus & occasionem, quando illuminati Reges Scandianii, nostriq; Sveo-Gothi abjecto Ethnicismo elegerunt fidem Christianam. Itaq; Historia Eccl. de perpetua conservatione Ecclesiæ Dei in terris nos rectè informabit.

3. Indicat Historia Eccl. variam Ecclesiæ militantis faciem & quomodo sit conservata, sive pressa, sive tentata fuerit. *Quoniam oportet Ecclesiam subesse cruci, disposuit Deus varium modum conservationi ejus utilissimum, quod Historia Eccl. ostendit. Nam ubi tentatur varijs opinionibus Hæreticorum excitat Deus orthodoxos Theologos, qui scriptis & concionibus opiniones hæreticorum refutant, ac veritatem verbi Dei, defendunt. Hoc omnibus temporibus factum esse, hodieq; fieri φιλίστωρ non ignorat, Antichristi Decretalia sevitè producta pauci orthodoxi initio observabant; qui autem hisce contradicebant, & quod omnibus temporibus sunt inventi, qui veritatem contra papam Rom. omnesq; sectarios religiosè confitebantur, testatur Historia Eccl. cum Catalogo Test. Ver. Qui fuerunt in nostra patria, qui contradixerunt Idolomaniæ Papist. tum tempore Reformationis, tum tempore Liturgico, docet nostra Hist. Eccles. Adhuc dum persecutioni*

Tyran-

Tyrannorum subesse Ecclesia habeat necessum, illuminet martyres ac veritatis confessores ipse Spiritus S. ne constantia fidelium deficiat. Licet enim innumera Christianorum millia quotidiè obtruncarentur, *ait Plinius 11, teste Eus. l. 3. c. 32;* tamen non possent ipsi impediri, quin antelucanos hymnos Christo canerent Deo. *Hanc confessorum veritatis constantiam & nomina illorum quovis seculo celeberrimorum continet Historia Eccl. item, docet eadem, quomodo & in quibus Regnis conservata sit Ecclesia sub diversis motibus, sive tempore belli, sive ex scandalo securè peccantium producti s, qui fuere sub toti Ecclesiæ conditione veri nutritij, quiq; seniores qui bonum Ecclesiæ statum cuplerunt salvum, & qui corruptos hominum mores decenti correctione sustulerunt, id totum vera Hist. Eccl, indicat, & in posteritatis informationem recenset.*

4. Informat Historia Eccl. docilem Christianum, quo sunt usi modo Nutritij & inspectores Eccl. in Ecclesiæ tam ordinaria quam extraordinaria directione.

Ecclesiam in terris certo ordine gubernandam esse voluit Christus, tradens illi claves Regni cel. cum ijsdem simul potestatem remittendi & retinendi peccata concedens. Hac data potestate ita sunt usi Ecclesiæ nutritij ac seniores, ut ordinem Eccl pro conditione status Ecclesiæ constituerint, semperq; servaverint. In statu florenti instituerunt pij Reges ac Magistratus judicia Eccl quæ consistoria *vocarunt, & constituerunt inspectores Ecclesiarum. quos Ecclesia nominavit* Episcopos & Superintendentes, Hoc enim semper observatum est. *ait Columel. l. 12; de re R. 3, de omni Rep. loquens,* ut primoribus atq; optimatibus non satis justum sit bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos cives creassent, quos Græci *νομοφύλακας* appellant. Horum erat officium eos qui legibus parerent laudibus prosequi; eos autem qui non parerent pœnâ mulctare. *Tales custodes legum & executores Decretorum*

torum Eccl, habuit Ecclesia à temporibus Apostolorum, quod Historia Eccl ostendit. Quod si Imperatores, qui Ecclesiam jussu Dei meritò nutrirent, degenerassent in Tyrannos, aut Episcopi immemores mandati divini, viderentur principatū agere, & adversùm se invicem contentionibus, Zelo, livore, superbiâ, inimicitijs atq; odijs inflammarentur, *qualem fuisse Ecclesiæ statum tempore Diocletiani, Maximiani & Maximini Impp. testatur Euf l. 8. c. 1. conservavit Deus constantem confessionem beatissimorum martyrum, quorum divinos agones describit ibid. Excitavit etiam spiritus Dei pios Impp. Constantinum M. & quosdam ejus successores, qui Zelo veritatis accensi, curam Religionis foverunt, & ordinem Eccl. instituerunt. Hoc factum esse ostendit Historia Eccl. tam in V. quam N. T. descripta; demonstrans simul conservatam esse Religionis veritatem, olim per prophetas divinitus exitatos, deinde per orthodoxos docentes in Ecclesia N T. illuminatos & παῤῥησίᾳ Spiritus S donatos, ut veritatem verbi Dei constanter profiterentur, scriptis q; publicis defenderent. Sic informavit Ecclesiam Orientalem ab Arrianismo tentatam, eam q; in confessione veritatis erudivit ipse Athanasius cum Episcopo Alexandro: deinde crescente eâdem heresi post mortem Athanasij, defenderunt fidem Christianam contra furores Aëtij, Macedonij &c multi sancti confessores, Meletius, Nazianzenus, totusq; chorus sanctorum patrum quarto seculo viventium, quorum pia scripta adhuc supersunt. Ecclesiam Occidentalem Decretis Papa Rom. turbatam, & à justitia Christi deficientem studebant corrigere quadam Synodi Toletana, post annum Chr. 671. congregata: etiam pii docentes in Synodo Brittannica circa an. Chr. 664. convocati, siquidem Scoti vehementer abhorrebant à Pontificijs ceremonijs, teste Beda & Sigeberto: Postquam vero augerentur nimium Traditiones Papales, opposuerunt se Tyrannidi papa Rom. aliquot Imperatores, etiam*

 Car-

Cardinales Pisis congregati, an. Chr. 1409. Item Bohemi: cum suo Joh. Huss. aliisq; Doctoribus: tamen ante Lutheri Disputationem an. Chr. 1517. non est facta Ecclesiæ Reformatio, prædicta Zach. 14. Mat. 24. de qua supra. Modum hunc conservandi Ecclesiam militantem, tam ordinariè quàm extraordinariè usurpatum indicat Historia Eccl. quæ etiam declarat ordinem ac processum, quinam convocârint olim Concilia & Synodos nationales, quorum erat vota & suffragia in illis conferre, ac sententiam pronunciare, & pronunciatam subscriptionibus confirmare. Hoc totum explicat Historia Eccl. dans posteritati manuductionem in hisce, rectè procedendi. Sic in patria nostra sunt convocata Concilia Nationalia de Reformatione Ecclesiæ nostræ, abjectâ Religione Papisticâ, & exclusis superstitiosis ritibus olim introductis. Unum convocavit pius Rex b. m. Gustavus I. an. 1529. Örebrogiæ celebratum, & subscriptione Nuncij Regij confirmatum. Alterum convocari fecit Dux Carolus consensu senatorum Regni, quod cum ijsdem frequentarunt præcipui in patria Clerici, numero 306. anno Chr. 1593. Ubsaliæ Sveonum, & ejusdem Decretis subscripserunt cum his benè memoratis, omnes patriæ indigenæ, relinquentes nobis nostrisq; posteris, pium Exemplum conservandi Religionem Evangelicam, & ritus in Ecclesia utiles.

5. Multum confert Historia Eccl. ad illustrandam veram, eamq; distinguendam, à falsa, Religionem. *Quamdiu durabit Ecclesia columna veritatis, tamdiu veram Religionem permansuram novimus. Falsam autem & præconceptam Religionem esse vanam & temporaneam Historia docet, multisq; fallacijs mixtam, ut eandem Tempus aut mutet in aliam, hæresin aut sempiternæ oblivioni tradat. Notat hoc ipsum visio Apoc. 12. ubi legitur, Michaëlem proje-*

cisse

esse Draconem seductorem universi orbis de cælo, h. e. Ecclesiâ militante, in qua habitant homines, quos Draco studet seducere. Cumq́; seductio fiat per dogmatis satanici, seu hæretica pravitatis propagationem, prædicitur hic Draconem ire projectum de Ecclesia, cum illius dogma & hæretica pravitas pereat, ejusq́; vanitas detegatur. Nam cum mulier (Ecclesia) potius fugiat in desertum, quàm ut à veritate verbi Dei deficiat, & Draco fugientem persequens, attamen ad delendam Ecclesiam, insufficiens emittit flumen tum persecutionum, tum hæreseων, falsorumq́; dogmatum, ut totam suam invidiam in Christum ejusq́; populum, & fraudes in Deceptionem Christianorum paratas effundat ac patefaciat: vel notabile est quod addit textus, terram fuisse mulieri auxilio, ut absorberet flumen, seu deleret cum tempore, hæreses & hæresiarchas, ut perpetuâ oblivione sepelirentur, quasi à terra absorpti. Sic perit falsum dogma dum nova exsurgit, sub eodem pallio hæresis, alio modo procedendi, alioq́; nomine nota, quod pallium errorũ postquam illi fuerit detractum, rursus & ipsa perit, manente nihilominus verbi Dei veritate in æternum. Hoc idem scivit Gamaliel dans consilium probandi veritatem doctrinæ Apostolicæ Act. 5. his verbis, Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur: Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud. *Exempla deletarum hæreseων clara sunt. Perijt dogma Nicolaitarum, Manichæorum, Donatistarum, &c. Arrianismus licet diu vexaverit Ecclesiam, ita tamen perijt, ut sit transmutatus in Photinianismum & Turcismum. Hæresin Pontificiam in varias transijsse Religiones ipsi confessionistæ fatentur. Sic enim Card Host. in 3 Decret cap. 10.* Religioso licet de una Religione ad aliam majorem transire. *Item, Canonista Roder. Tom. 1. quæst. 1. art. 2.* Illud

 Reli-

Religionis votum est sacrum, quod solennizatum fuerit per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per sedem Apostolicam approbatis. *Calvinismus partitus est in variam confessionem Puritanorum, Remonstrantium &c. Sola Evangelica Religio à Crypto-Calvinianis, Flacianis, Anabaptistis purgata, manet inconcussa, juxta Scripturam Apostolorum & Confessionem fidelium jam inde in Ecclesia verâ servatam. Sic in nostra Ecclesia perijt dogma Papisticum post conversionem gentilium majorum nostrorum à paganismo ad fidem Christianam introductum, fictâ à Reformatione Ecclesiæ nostræ per Regem Svec. Gustavum I. postea renovata illa hæresis per factionem Liturgicam tempore Regis Svec. Joh III. perijt etiam divinâ dispositione, dirigente Duce Carolo Regni Svec. Principe hæredit. quod totum nostra Historia Eccl. ad oculum demonstrabit. Confert itaq; Historia Eccl. hanc utilitatem Lectori, ut designet falsam Religionem hac duratione temporaneâ, & veram Religionem indicet perpetuâ confessione fidelium, omnibus temporibus viventium. præterea notat Historia Eccl. hæreticos ex ipso stylo, modoq; defendendi suam pravitatem, ut vel hinc cognoscat pius differentiam falsitatis à vera Religione. Ruffinus testatur l. 10 c. 15.* Aëtium pluresq; Arrianos arte dialecticâ fuisse præpotentes, ut ratiocinando, non Scripturam adterendo vincerent. *Ipsaq; Confessio Arrij annotata in Hist. Trip. l. 1. c. 15. indicat captiosum esse stylum hæreticorum fraudibus plenum. E contra dicit pius Imp. Constantinus in Conc. Nic. teste Trip. l. 2. c. 5.* expellentes hostile certamen, ex verbis divinitus inspiratis solutionem quæstionum mente percipiamus. *Hoc ipsum probat nostra Historia Eccl. verum esse, Nam tempore Reformationis Eccl. sub Rege Gust. I. restiterunt Episcopi papales, pia actioni, utentes fallacijs ac dolis pluribus. Item tempore Liturgico leguntur*

multæ

multa Epistola sc. Hosij, Episcopi & Card. Varmiensis scripta Regi Suec. Job. III. & Reginæ Catharinæ de conservatione Catholica (ut vocat) Religionis. Quod fraudulenter egissent causam Liturg. Deceptores Regis Job. III. Secretarius M: Pet. Fechten *J Herbestus,* Closterlosse / *cum Legato Apost. Antonio Possevino, qui plurimos Jesuvitas in patriam fraudulenter transmisit, scripta & Acta illorum in nostra Hist. Eccl. exaranda ostendunt.*

6. In Historia Eccl. ex adductis exemplis commonefiant superiores præsertim in Ecclesia & Politia, sui religiosi officij. *Quoniam humanum est eligere libertatem vivendi, nec admittere admonentem licet ex officio agentem; quin potius velit natura odisse, dissvasorem noxiæ libertatis, etiam pœnam fugere licentiâ dignam, si possit fieri. Hoc vitio gravius laborant, ut plurimum, supremi in Ecclesia & politia, quos pauci audent compellare, pauciores volunt justam admonitionem (si viderint hanc venire ingratam) dare; siquidem humanum est agere ubiq; alijs grata,* & fatigando se, *ait Salust. de bell. jug.* nihil aliud quàm odia hominum quærere, extremæ dementiæ est. *Ideo sunt utilissima scripta Historica, quæ allatis Exemplis informant omnes præsertim gradu superiores, quos videmus in multa intentos, ut inferiorum admonitione aut non videantur indigere, aut minus moveantur; hi ipsi ex libris Historicis proficere possunt, legentes & imitantes Exempla illorum qui officio rectè invigilarunt, & fugientes pœnam aliorum, qui officio suo aliena fecerunt. Unde Demetrius Phalereus dixit Regi Ægypti Ptolomæo, teste Laërtio,* hunc esse præcipuum librorum usum, ut alij qui vocem admonentis nolunt, tacitam scripturæ admonitionem acceptent. *Et Plutarch. de Jast. puer. Ait,* Actorum prius gestorum memoria exemplum est prudentis deliberationis de rebus futuris instituenda,

7. *Historicus hæc imprimis observabit.* 1. Veram scientiam rerum gestarum sibi comparabit, eamq; veritatem bonâ fide narrabit; & veterum monumenta ex authoribus fide dignis, non ex fabulis aut suspicionibus colliget. 2, Prosopolepsian vitabit, ut in nullius odium aut gratiam quidquam scribat. 3. Nihil ex authoritate propria (si aliquâ polleat) præjudicabit: sed aliorum sententias & judicia sana de rebus gestis, quæ audit relatu digna narrabit, 4. Inspiciet frequenter Titulum operis, ne aliena admiscendo, sua imperfectè tractet. *Qui Historicus hæc observat, res gestas posteritati cum fructu tradit. Ratio Requisiti 1. est, Ratio nominis Historia vult omnia habere certa & explorata: siquidem dubia & incerta animum legentis movere non possunt, neq; firmum est opinabile judicium ex dubijs productum. Hinc ait Cicero 2. de orat,* Quis nescit primam esse Historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non ausit. *2. Vis infertur veritati, dum scribit Historicus aliquid ad gratiam aut odium. Differt enim stylus Oratorius ab Historico: ille persuadebit probabilia, hic acta narrabit vera. Unde iterum Cicero,* Historiæ lex est, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. *3. Præjudicia ubiq; damnantur, quia ex nuda opinione procedunt, & imitantur affectus plerunq; corruptos; ideo solent Historici pauca viventium Acta describere, ne quid dare auribus, & veritati injuriam inferre videantur Hac causâ moti principes Hisp. noluerunt Catalogum virorum illustrium à Lucio Marineo Siculo consignatum, illis viventibus fuisse publicandum, causam dederunt (ait idem lib 22)* ne inter viventes, ut est humana conditio, magna nasceretur invidia. *4. Cum ordo sit ubiq; necessarius, etiam in conscribendis libris & ad utilitatem legentium conformandis non omittatur. Omnis licet Historia*

ha-

habeat utilitatem maximam; tamen quia Ecclesiastica fine suo modoq; tractandi differt ab Historia politica, inspiciet Historicus frequenter Titulum sui operis, ut Ecclesiasticus non intermittat illa, quæ indicant Ecclesiam in terris fuisse conservatam: politicus non relinquet intacta, quæ bonum statum Reip. persvadent, & inordinatum dissvadent.

8. Historiam nostræ Ecclesiæ licet multi tam exteri quàm indigenæ scripserint: tamen desiderantur adhuc non pauca, proximo præsertim seculo peracta, de quibus, posteritas sit rectè informanda. *Antiquissimi Scriptores qui monumentis literarum tradiderunt Historiam gentium, etiam memoriam nostrorum Scytharum & Sveo-Gothorum claram dederunt; licet de ignotis loquentes, nostros majores ignotis ac corruptis nominibus indigitârint. Itaq; Historicus noster Janus Minor refutans Calumnias Petri Parvi Rosenfontani, rectè ostendit Historiam Sveo Goth. non primùm à Joh. Magno, sed ab Historicis vetustioribus fuisse conscriptam. Nominârunt quidem Scythas & Gothos primi Historici Græci & Latini, Herodotus, M. Cato in Fragm. Pomp. Mela in Cosm. Sed qui ex professo de Sveo Gothis scripserunt, fuerunt natione Gothi, tamen extra patriam viventes in Italia & Hispania, qui vetustatem Gentis nostra sciverunt, sed Acta patriotarum in Scandia ignorârunt. Horum fuit primus* Jornandes *Archiepiscopus Ravennas, qui allegat in hac materia Antiquiores scriptores* Dionem. *Græcum &* Ablabium *Gothum, cujus historia hodiè non extat. Historiam Jornandis collegit Janus Gruterus in Historias Augustas, cum alijs vetustioribus Historicis,* Ælio Spartiano, Julio Capitolino, Trebellio Pollione &c. *qui etiam de Scythis, Gothis, Athanis (nostris patriotis) aliqua memorant. Addidit postea Historiam de bell. Goth.* Procopius, *Belisarij Rom. Cancellarius*

na-

natione Gothus in Hispania scripsit Chronicon Gothorum Isidorus, *addens libros 9. Originum, in quibus etiam facit mentionem Sueo-Gothorum. Episcopi in Hisp.* Alphonses Chartagena, Rodericus Sancius & Tolitanus *in Historia sua describunt originem & res gestas Gothorum in exteris militantium. Ex quibus & pluribus exteris probatur certè vetustas nostrorum majorum, sed specialia illorum facta petantur ex monumentis in patria relictis, quæ collegit & ex antiquioribus nostris Historicis confirmavit* Joh. Magnus *in sua Historia, quæ hodiè legitur. Ecclesiastica nostra, quando & quâ occasione conversi sint Sueo-Gothi de paganismo ad Christianam fidem, primò quidem scripserunt Exteri,* Adam Brem. Canonicus, *qui ante annos 580 vixit. Deinde* Crantzius *edidit non solum Historiam patriæ, sed Metropolin, in qua recenset successionem prædicatorum, qui nostram Ecclesiam in verbo veritatis informàrunt.* Cæl. Baronius *in diversis suis voluminibus gesta nostra Ecclesiæ interserit. Post* Saxonem *Siallandicum de gestis ac Religione majorum nostrorum quædam annotantem, scripsit* Ar. Hwitfeld. *Danus aliqua de nobis scitu necessaria. Neq; patriotæ suo in hac parte defueruut officio; allegantur quædam antiquiorum scripta à Recentioribus: sed monumenta illa Antiquiorum periisse incuriâ posteritatis videmus. Archiepiscopus Ubsal.* Birgerus Gregorij *collegit Historiam Eccl. circa an. Chr. 1377. quam hodiè extare nescimus; nam Papistæ non declaràrunt huic operi tantum favorem, quantum tribuebant Legendæ S. Birgittæ, quam ipse collegit, ut hanc nulla ætate perituram vellent. Scripsit deinde Historiam Sueo-Goth.* D. Ericus Ecclesiæ Ubsal. Decanus. *an. Chr. 1464 & post illum Joh. Magnus, qui addidit* Metropolin nostræ Ecclesiæ, *siquidem in sua Historia plerumq; tractàsset politica. Exteri scriptores* D D. Chytræus *in suis Chron. Sax,* L. Osiander *in Cent. quædam nostra etiam Eccl.*

recen-

recensent, non tamen continuant Acta, nec quæ describunt, tractant integrè: Patriotæ quidam scripserunt Historiam nostram, etiam ibid, Acta Eccl, commemorant. Sic D. Joh. Messenius *Chronicon Episcoporum nostrorum edidit:* D. Doctor Jonas Magni *antehac Professor Ubsal. nunc Starensis Episcopus, Synopsin Historicam composuit, in qua memoriam Actorum nostrorum Eccl. facit. Novissimè scripsit Historiam Arctoam.* D. Doctor L. Paulinus Gothus olim Episcopus Streng. *nunc Archiepiscopus Ubsal. nostra Ecclesiastica proximo seculo peracta tractat facundè gratoq; stylo: sed multa desunt ad cognoscendum statum nostræ Ecclesiæ præteritum & præsentem, & quos motus tempore reformationis ac liturgico superarit ipsa; item quas fraudes inconstantissimorum hominum perpessa sit. Nam 1. Concilium Örebrogense de Reformatione nostræ Ecclesiæ anno 1529. celebratum, omittitur ab Historicis; Sic Constitutiones Eccl. an. 54. & 56. piè sancita. 2. Controversiæ Laur. Neritij cum Calvinista Dionysio Beurreo; item cum Episcopo J. Osceg. liquorista, publicè non extat. 3. Initium, processus & finis factionis Liturg. ab Historicis non annotatur. 4. Celeberrimum Concilium Ubsaliæ an. 93. frequentatum nostri Historici ex ordine non describunt. 5. Acta Eccl. inter R. Sigismundum & ordines patriæ ante illius coronationem tractata Historici relinquunt. Præterea multa sunt memorabilia, conservationem nostræ Ecclesiæ spectantia, nostro tempore peracta, neq; hactenus publicata, vid. Disputationes cum Calvinist. Micronio & Forbesio: Item institutio Academiarum, Gymnasiorum Scholaq; Lapponicæ &c. quæ ad posteritatis memoriam erunt rectè transmittenda. Hunc defectum nostræ Hist. Eccl. resarcire σὺν θεῷ studebo, inquirendo Acta publica, partim in Archivo R. servata, partim in Bibliothecis Doctorum virorum, qui publicis Actis interfuerunt*

fuerunt exſcripta. Si velint Patriotæ, qui monumenta Patriæ ſervant, mecum communicare plura, faciam ut nec illa omittantur, nec illi ſuo honore deſtituantur. Hac proloquij loco dicta ſufficiant.

FINIS.



